



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Petri Laurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa
Canonica Deductus**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1708

584. Quid possit circa cognoscendas causas civiles & feudales.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)

n. 22. &c. Quin & idem in specie de Vicario Capitulari tenet Sbroz. *loc. cit. nu. 6.* citans pro hoc Pavin. *de potest. Capit. sed. vac. p. 2. q. 10. n. 17.* Fundamentum illius est, quod dispensatio habeat se instar restitutionis in integrum; restitutio autem in integrum non delegetur ex generali mandato juxta *L. illud. ff. de minor. Roland. cons. 25. in princ. vol. 2.* qui dicat hanc esse communem opinionem. Item, quod in mandato generali Vicariatus non veniant ea, quæ sapiunt liberalitatem, ut *Castren. cons. 348. Roland. loc. cit.* quos citat Sbroz. adeoque nec dispensatio, utpote quæ provenit ex speciali gratia & liberalitate. *c. fin. de transact. Castren. loc. cit.*

2. Sic itaque juxta hanc sententiam postremam non poterit dispensare Vicarius Capitularis in interstitiis sine speciali mandato Capituli, uti id docent *Ventrigl. ro. 2. annot. 15. §. 1. n. 40.* citans pro hoc *Barbol. sum. Apost. decis. v. Capit. sede vac. num. 14. Vulpe. in pr. c. 4. n. 14. Aldan. compend. can. resolut. tit. 3. n. 6.* qui etiam referat sic decisum à S. Congr. E contra simpliciter & indifferenter hanc facultatem dispensandi in interstitiis spectare ad Vicarium Capitularem tradit *Riccus. decis. 185. sub n. 2. apud Ventrigl. & Machadus apud Dian. p. 8. tr. 4. resol. 5.*

3. Item juxta hanc sententiam non poterit Vicarius ille dispensare cum illegitimis ad Ordines minores, & simplex beneficium, nisi de speciali mandato Capituli, uti expressè docent *Ventrigl. loc. cit. §. 2. n. 58. Dian. loc. cit. resol. 6.* citans *Meroll. Theol. mor. ro. 3. d. 7. c. 7. dub. 1. n. 34. Rodriq. in sum. tom. 1. c. 71. n. 5.*

Questio 582. Quid possit Vicarius Capituli circa cognoscendas causas matrimoniales?

Resp. De causis matrimonialibus posse cognoscere Vicarium Capitularem habentem omnimodam auctoritatem (intellige, à Capitulo) ait *Ventrigl. cit. §. 2. n. 38.* citans præter alios *Dianam ubi ante resol. 22.* & *Barbol. jur. eccl. l. 1. c. 32. n. 102.* ubi tamen illi nihil de Vicario Capitulari, sed solùm Capitulo. Porro per omnimodam auctoritatem intelligere videtur absolutam potestatem quoad omnia, quæ Capitulum committere potest; adeoque etiam ad ea, quæ speciale mandatum requirunt. De quo tamen meritò dubitari potest; num nimirum cognitio illa causarum matrimonialium (et si ut dictum supra, ex sint de arduis; cum in iis agatur de statu hominis, *Sbroz. lib. 2. q. 44. n. 4.* citans præter alios *Menoch. de arbit. l. 2. casu 205. n. 7.* & quæ sunt ardua, non transeant aliàs in Vicarium, etiam cum amplissima facultate constitutum, *Sbroz. loc. cit. n. 5.* ex *Federic. de Senis cons. 302. &c.*) egeat speciali mandato, cum spectet ad jurisdictionem ordinariam, sitque ex illis, quæ frequentius in administratione Episcopatus occurrunt. Sic causas matrimoniales à Vicariis Episcoporum passim, ut videmus, cognosci comprehendique illas in generali mandato Vicariatus, expressè docet *Cuchus Inst. de Episc. l. 2. tit. 6. nu. 123.* apud *Sbrozium de off. Vicarii l. 2. q. 43. n. 4.* qui & ipse hanc sententiam tenere haud obscurè dignoscitur, dum *nu. 5.* de suo rationem hujus addit, dicens: nam ad cognoscendum causas matrimoniales duo in iudice requiruntur, scilicet scientia Canonica, & quod habeat potestatem seu jurisdic-

nem ordinariam, vel delegatam; Vicarius autem Episcopi hanc scientiam habere debet, & est iudex ordinarius; adeoque meritò causas matrimoniales cognoscere potest. Quin & expressè hanc sententiam de Vicario Episcopi tenet idem Auctor *l. 2. q. 44. n. 1. in fine,* ubi pro hoc, quod iste Vicarius cognoscere possit, & terminare dictas causas sine speciali mandato Episcopi, citat *Lambert. de jurep. l. 2. p. 3. q. 2. a. 3. Covar. l. 4. Eptom. c. 8. §. 12. nu. 1. Præpos. & Abb. in c. fin. de cognat. spirituali, &c.* Ac denique hanc quaestionem concludit dicendo: ab hac sententia majore numero auctoritatum probata non recedo. Unde id ipsum à fortiore dicendum videtur de Vicario Capitulari. Neque hic obstat, quod juxta Tridentinum discussio illarum causarum matrimonialium nullius alterius inferioris, quam Episcopi examini relinquatur: id enim, ut inquit *Sbroz. cit. q. 43. n. 7.* intelligendum non est de Vicariis, sed aliis inferioribus Prelatis, juxta dicta à nobis supra, ubi an cognitio causarum illarum competat Capitulo. Vide plura etiam de his, ubi actum de Vicario generali Episcopi.

Questio 583. Num Vicarius Capituli per seipsum assistere possit matrimonio sine speciali mandato Capituli?

Resp. de hoc vix dubitari posse, idque etiam si Sacerdos non sit; cum exerceat ordinariam & episcopalem jurisdictionem, possitque delegare cuique alteri Sacerdoti non minus, quam Vicarius Generalis Episcopi hanc potestatem assistendi, sitque Ordinarius & Parochus Parochorum. Et sic expressè tradit *Dana p. 8. tr. 8. resol. 49.* ubi: (sub nomine Ordinarii, qui & assistere, & assistendi licentiam dare potest, in Trident. sess. 24. c. 1. comprehenditur Capitulum sede vacante, & ejus Vicarius. Citat pro hoc *Gutier. de matrim. c. 66. n. 5. & 13. Pontium l. 5. c. 10. n. 4. Boss. c. 4. §. 2. 1.* idem expressè tenet *Ventrigl. loc. cit. n. 43.*

Questio 584. Quid possit Vicarius Capituli circa cognoscendas causas civiles, vel etiam feudales?

1. **R**esp. ad primum: In generali commissione Vicariatus citra speciale mandatum cognoscere potest causas civiles, *Sbroz. l. 2. q. 125. nu. 1.* loquens de Vicario Episcopi, ac citans *Caldin. in Clem. 1. n. 19. de off. Vicar. Bald. cons. 477. n. 6.* Auffer. *in addit. ad Tolosan. q. 148.* Beroium, &c. Cùm enim in Vicarium per commissionem officii Vicariatus generaliter ei factam transeat cognitio causarum, *c. licet. de off. Vicar. in 6. & ibi AA.* cum ex eadem generali commissione Vicarius habeat administrationem in civilibus (quod non minus locum habet in Vicario Capituli, quam Episcopi) necessaria non est specialis concessio quoad hoc expressio. *Sbroz. loc. cit. n. 2.* citans *Rebuff. in pr. benef. tit. form. Vicar. Ar. hiep. n. 195.* Quænam verò sint causæ civiles fori Episcopalis (& consequenter spectantes quoque ad Capitulum sede vacante, & cognoscendæ per ejus Vicarium) recenset *Cuch. in Inst. jur. can. de Episc. tit. 6. num. 122.* apud *Sbroz. cit. n. 2.*

2. Resp. ad secundum: Causas tamen feudorum

rum spectantium privative ad Episcopum, ne quidem de mandato speciali Capituli cognoscere potest ejus Vicarius. Harum enim cognoscendarum potestatem Capitulum non habet juxta dicta à nobis supra: quorum autem exercendorum Capitulum sede vacante potestatem non habet, ea Vicario suo committere non potest. Pirh, *ad tit. de off. Vicar. num. 78.* Causas tamen feudorum spectantium ad Episcopum, & simul ad Capitulum cognoscere possit; has enim Capitulum sede vacante cognoscendi potestatem habet juxta dicta à nobis supra. Item feudorum spectantium privative ad Capitulum cognoscere potest, sed non nisi de speciali ejusdem Capituli commissione & mandato.

Questio 85. Quid possit Vicarius Capitularis circa cognoscendas causas criminales, & in specie hæresis?

1. **R**esp. ad primum. Quemadmodum de Vicario Episcopi, quod causas criminales cognoscere nequeat, docent Sbrozium *lib. 2. quest. 143. num. 1.* pro quo citat præter alios quamplurimos Pavinum *de potestate Capit. sede vacant. part. 2. quest. 10. num. 33.* Rebuffum *in pr. benef. tit. form. Vicar. Archid. num. 173.* Lancellot. *Instit. Jur. Canon. §. 1. de off. Vicar.* Clarum *in pract. crimin. §. fin. quest. 40. in fine, juxta cap. licet. de off. Vicar. in 6.* Per quem textum correctum ait Extravag. dudum, de appellat. quæ est Alexandri IV. & disponit, officiales Episcoporum ordinariè causas criminales cognoscere posse. Itaque quodque idem tenet Sbrozium *loc. cit. de Vicario Capituli sede vacante citans Pavinum ubi ante. numer. 3.* Quemadmodum verò id ipsum variè limitat de Vicario Episcopi, ita quoque easdem limitationes in Vicario Capituli locum habere, necesse habebit concedere. Limitat autem primò *num. 7.* quod opus non sit commissione illà speciali, ubi inquit & cognoscit, non ut puniat, sed ut referat Episcopo. Pro quo Lap. *in cit. cap. licet. Diaz. in pract. crim. canon. cap. 4. num. 5.* Menoch. *de arbit. lib. 1. quest. 43. num. 27.* Foller. *in pract. crim. canon. part. 1. moral. num. 124.* & *part. 3. tit. vel absolvantur. num. 26.* & alios quamplurimos. Limitat secundò, ut eà opus non sit, dum Vicarius vellet inquirere, ut delinquentes se corrigant, & emendant. Pro quo citat Franch. *in citat. cap. licet. col. 1. in princip. limit. 3.* Innocent. & Jo. Andr. *in cap. ad nostram il. 2. de jurejurand. &c.* Limitat tertio, ita ut opus sit dicta speciali commissione, ubi Vicarius inquirere vellet, & punire penam privationis, vel depositionis ab officio, vel alià majore; secus, si penam pecuniarià, vel simili. Quod ipsum passim practitari videmus ab ipsis Archidiaconis, eorumque commissariis. Plures ejusmodi limitationes vide apud eundem.

2. Resp. ad secundum: In crimine tamen hæresis posse Vicarium Episcopi inquirere absque speciali mandato tenet Sbrozium *loc. cit. num. 13.* citans Farinac. *in cit. cap. licet. limit. 3.* & *ibidem* Jo. And. Marian Socin. *in cap. qualiter. de accusat. num. 173.* Vide tamen supra *in tract. de Vicar. generali Episc.* ubi de professo quaesitum, quid possit illo Vicarius circa crimen hæresis cognoscendum, quæ mens fuerit Sbrozii hoc in puncto,

dum Author hic quandoque videatur contradicere. De ceterò huic sententiæ favere videtur Carena *tract. de s. Officio. part. 1. tit. 6. §. 3. num. 10.* apud Dianam *resolut. 37.* quem vide. Et certè si id potest Vicarius Episcopi, à fortiore id posse videtur Vicarius Capituli, ob rationem aliàs datam; nimirum quòd Capitulum non ita Vicario suo restringere possit potestatem, quàm Episcopus suo. Contrarium nihilominus expressè de Vicario Capitulari tenet Ventrigl. *citato §. 2. n. 27.* ubi procedit (nempe Vicarius Capituli) in materia hæresis, prout Episcopus ipse procedere poterat in puniendis ac judicandis hæreticis. gloss. *in cap. ad abolendam. de hæreticis. v. praxogari. v. ubi DD. quod intellige,* quando habet speciale mandatum à Capitulo. Et tunc solum contra subditos, non autem exemptos procedere potest. Farinac. *de hæresi. quest. 186. num. 182.* Et licet Farinacius *ead. loc. num. 181.* dicat Vicarium Capitularem nullam habere jurisdictionem in hæreticos, hoc intelligitur ex generali, secus ex speciali mandato Capituli. Quid etiam hac in parte possit Vicarius Capituli etiam in exemptos, vide apud Dianam *part. 8. tract. 4. resolut. 37.* ex Carena *loc. cit.* ubi is: in casibus, ubi Episcopus procederet ut delegatus, ut cum in causis hæresis procedit contra exemptos; nam in hoc casu Episcopum non posse ut ordinarium, sed ut delegatum considerari, secundum communem tradit Farinacius, & tunc non posse Vicarium Capituli procedere, magis etiam communem voluerunt, quos citant Farinacius, Castropal, &c. Et hoc quidem de stricto jure procedit; quoniam in contrarium pro Vicario Capituli sentit Quarant. *in summ. Bullar. v. Capit. sed vacant. num. 1.* cujus opinionem video in praxi in nostra Inquisitione Cremonæ observatam. Itaque Carena.

Questio 86. Num Vicarius Capitularis esse possit delegatus Papæ, quemadmodum esse potest Vicarius Episcopi generalis?

Resp. Affirmativè Sbrozium *lib. 3. quest. 23. num. 3.* citans Pavin. *part. 2. quest. 10. num. 6.* & 8. gloss. *in Clement. et si principalis. de rescript. v. Episcopi. & ibi Abb. num. 1.* Garc. *de benef. part. 6. cap. 2. num. 42.* ubi: Vicario seu Officiali Capituli sede vacante possunt de jure dirigi delegationes & rescripta papæ, non secus ac Officiali Episcopi; cum sit Vicarius, seu Officialis jurisdictionis Episcopalis, & sic in Hispania solent Nuncii causas delegare Officiali Capituli sede vacante. Militat enim eadem in hoc Vicario ratio, quæ in Vicario Episcopi; nempe quia non minus quàm ille est dignitas. Personis verò in dignitate constitutis committi possunt causæ auctoritate literarum Apostolicæ sedis, vel Legatorum ejusdem *cap. statutum. de rescript. in 6.*

Questio